

16.

PROPI TIO NVMINE!
PHRENITIS ET PARA-
PHRENITIS

SVB CLEMENTISSIMIS AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI
GVILIELMI HENRICI

SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, AN-
GARIAE ET VVESTPHALIAE DVCIS
ET RELIQA

NEC MINVS

BENEVOLO GRATIOSISSIMAE MEDICAE FA-
CVLTATIS INDVLTV

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVE-
MITTVNTVR

A

P R A E S I D E

HENRICO IACOBO STÜVEN
M. D.

R E S P O N D E N T E

GEORGIO PHIL. SPANGENBERG


KLETTENB. HOHENST.

AD DIEM XVIII MARTII M DCC XXIV

H. L. Q. C.

IENAE
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

PROPTER MINIMA
PRIMAS ET PLACAS
PRIMERAS
RECOLTORES MAGNIFICENTIAES IMI
SERVANTUR TERRICULAS DE DOMINA
DOMINA
GAVINUS HENRICI
SALVATORIS, TUTRICI, COLLEGII, MONACHI, AKA
EGO ET ALIA UT TERRICULAS DEDICAR
TERRICULAS
GENEATORES CASTITOS SILENTIA MEDIOS ET
CIVITATIBUS INCLAVIT
LITERIS ET SCIENTIAS PRAECEPIT
MILITARES
KAROLUS
HENRICO IACOBO STUAVEN
GEORGO THOMAS ZANGENFRENG
DIDICIT ZANGENFRENG
DITTATIS HIC SERPENTINAE



CAP. I. DE PHRENITIDE.

§. I.



Uminis summi & benignissimi sub
humani corporis aedificatione nu-
tum fuisse, non tantum ut homo
viueret, sed etiam ut prudenter
viueret, id ex eo dispalescit, quod
corpori facto, & ad motus vitales
subeundos aptato, animam insuf-
flaret, quae motus istos ad rectae
rationis normam temperaret, atque molliret. * Et li-
cet ipsa corporis nostri materialitas, &, ex diuersae in-
dolis corpusculis facta, compositione, morborum feraci-
sima mater sit, mens quoque vel sola, quam nouimus,
immaterialitate morbi expertem se monstrat, & hinc
recte *itzadn's* dicatur; attamen, si arctissimum inter
corpus & mentem commercium, ipsasque motus le-
ges, sub compositione corpori nostro inditas, reputes,
forsitan non inepte in deliriosis mentem aegrotare, di-

* Genes. II. v. 7.

ceres, quod veteres agnoscentes furiosum delirium phrenitidem vocabant, quasi dicerent mentis inflammationem.

§. II. Omnipotens enim, dum materiale cum immateriali, corpus nimirum cum mente, commiscebatur, intendebat, ut, quando corpus moueretur, mens corporis motus perciperet, pro perceptione cogitaret, pro cogitatione iudicaret, & prout mens cogitaret, ita motus in corpore sequerentur, cuius legis ratio est absoleta Dei voluntas, & omnipotentiae manifestatio.* Quemadmodum itaque corpus nostrum tunc morbosum dicitur, quando motus vitales minus recte celebrantur, adeoque ex motibus corporis laesis morbus stabilitur, & cognoscitur; ita mentem tunc demum aegrotare, verum videtur, vbi neque perceptio, neque cogitatio, neque iudicium, pro obiecti indole fiunt, sed omnia insulse aestimantur.

§. III. Ne vero vanum hoc videatur istis, qui non intelligunt, morbum in se consideratum materialem non esse, sed solam morbi caussam materialitatem inferre; hinc libenter concedimus, morbositatem mentis in foro medico communiter de partibus, quibus anima strictius vititur, sumi, & mentis adfectus dicere plerumque liquidi neruosi vitia in crassi & motu. Et ita phrenitis confusa simul furiosa, cogitatio est, ex magna febre orta, anomaliam liquidi neruei in crassi & motu pro fundamento habens, quae veteribus ex primebatur per difficultatem aut impedimentum mentis. **

§. IV.

* Vid. Fr. de Cardemoy *discernement du corps & de l'Ame.*

** a difficultate aut impedimento mentis vocabatur Phrenitis,

Grauissimus hic morbus ipsis statim medicinae parentibus de facie sat notus, quoad adscendi modum minus recte iis innotuisse videtur. Primis enim artis initiis morbus hic stagnatio, seu obtrusio corpusculorum in cerebri membranis * audiebat, qua ipsa morbi appellatione, non solum morbum & causam eius non satis interslinguebant, sed & contra ipsum morbi modum multum peccabant. Hunc errorem artis filii, nepotesque agnoscentes, ex ipso morbi modo & phaenomenis, non tam stagnationem, quam potius auctam corpusculorum motitationem, & inde calorem fortem factum, morbum phreniticum generare autumabant, vnde ex inflammatione cerebri, & praeprimis eius inuolucrorum morbum stabiliri possebant.

§. V. Sub mentis impedimento aut difficultate phreniticus morbus in scholis veterum venditabatur, quae morbi denominatio, vt vt morbi essentiam optime ponat, multum tamen ad insufficientem morbi cognitionem videtur contribuisse, siquidem hac morbi appellatione recta via ducebantur ad eam partem, in qua mentem ** residere putabant, in eaque morbi sedem quaerebant, vnde cum mentem in alto

vid. *Cael. Aurelianum de morbis acutis & chronicis ex edit.*

Ammani pag. 2. §. 4.

* Hanc Asclepiadi definitionem refutatam vide apud *Cael. Aurel. loc. cit.*

** Optima sunt, quae contra *Cartesium B. VVedel. Physiolog. reform. pag. 65. num. X.* monet, & item de sede animae utique distinunt verba, quae idem & post mortem Perillus Vir *Physiol. pag. 53. & theoremat. Med. pag. 9.* habet.

quasi & apice corporis, cerebro nimurum sitam, corpori imperare putabant, hanc in imperio impediri existimabant, vbi sedes turbaretur aut incenderetur.

§. VI. Cerebrum, aut huius potius inuolucrum, quam meningem crassam, alii, quod omnium in corpore praesentium tunicarum origo sit, matrem duram vocant, inflammatam esse phreniticis putant, quod tam en incongruum adparet iis, qui ex phaenomenis morbo coniunctis, huius originem & indolem aestimant. * Sunt autem morbi phaenomena immanis decumbentis audacia, robur inhumanum, fallax celeritas, iis, qui proximi sunt, nocendi, continuae vigiliae, quae rarissime somno turbulentissimo miscentur, metus, terror, & oculorum fugacitas, quae omnia acutissima febre, futili & incondito sermone, insulsa cogitatione & iudicatione, maximo furore, clamore, risu, non minus fletu, vrina tenui, flammea, & aestu linguae clamoso stipantur.

§. VII. Haec qui ponderat, non aequa ex sanguinis in meninge stasi, huiusque inflammatione, descendere eadem, sed morbi modum longe aliud esse debere, videt. Audax enim & immane hominis robur, quid aliud quam magnos humorum nisus, & motum vehementer auctum potius, quam ex stasi depresso, nec minus agilitas & celer corporis motus, quid clarius,

* Quomodo ex concursu signorum sit cognoscenda Phrenitis, vide apud *Cael. Aurel. libr. I. cap. III. pag. 13. §. 34.* & notabile est, quod idem hic adcuratus signorum observator *pag. 8. loc. cit.* inter specialia phrenitidis signa reconsensat κροκιδίσμον & καρφολογίαν, quibus continuam mentis & corporis, quae in phreniticis adest, agitationem indicare, forsitan gestit.

clarus, quam longe apertas liquidi neruei vias indicat? continuas vigilias & horridum vultum, quis quaeſo conuenientius explicat, quam is, qui ex robusto liquidi neruei, inordinato & impetuoso eius ex cerebro effluxu in partes ea dederit? quam ipsam liquidi neruei vna cum sanguinis & reliquorum humorum suribundam commotionem acutissima illa febris, cum furiosa & deliriosa corporis gesticulatione satis confirmat; vnde sane nondum satis scio, an quis ex angustato & compresso cerebro, fortē humorū & liquidi neruei motum stabiluerit, quem potius impeditum esse ex tali modo adficto cerebro esset necesse.

§. VIII. Cerebrum a utem in Phreniticis, si ex inflammata meninga tales sunt, comprimi & angustari debere, docet natura staseos & inflammationis, si quidem nulla est inflammatione, quae non sit talis ex stasi materiae deinceps inflammatae, nulla autem stasis sine tumore fiat, omnis autem tumor sit cum affectae partis distentione, distentio vero vnius partis coniunctae parti compressionem inferat, & poros proximae aut subiectae partis angustet, ex pororum autem & canaliculorum angustatione, fluidorum fluxus & effluxus ex parte potius impediatur, quam augeatur, ex quo denique motus humorū impedimento, quies potius quam furor, debilitas corporis potius quam robur, somnus magis quam vigiliae nascuntur.

§. IX. Ex ipso itaque morbi modo impossibilitas inflammationis meningum pro phrenitide stabilenda elucet, & clarus hoc patescit, si sensatissimam cerebri indolem reputas, cuius gratia leuissima meningis compressio aut distentio insignem cerebro

compressionem, & sub hac spissas satis tenebras facultati animali obducat, quae per modum soporis, stupiditatis, *ἀναισθετίας*, numquam autem furiosi delirii cognoscenda dantur. Sic haec manifeste monstrant, delirium phreniticum ab iis caussis, quae somnum potius inducere valent, descendere non posse, quod suo iam tempore diligens morborum obseruator *Caelius Aurelianus* agnoscens *Asclepiadem* castigat, quod lethargum a phrenitide nominetenus quidem, non autem iuxta indolem & modum interstinxerit, & definitionem phrenitidis eamdem posuerit, quam dedit lethargi. *

§. X. Et, si verum dicere fas est, phrenitidi applicatam aetiologyam omni ex numero lethargo, nulla autem ex parte nostro, quem agitamus, morbo, quadrare, adserimus. ** Posterius ex supra dictis satis patet, prius autem ex morbo lethargico, obiter saltim inspecto, clarum fit. Lethargus enim est grauis sensuum feratio, aut saltim depravatio, nec minus motus animalis, pendens ex liquidi neruei ex cerebro in organa corporis influxu, per caussas cerebri medullam comprimentes, impedito, cum dementia, seu obscurio delirio, multa capitis segnitie & grauitate, magna obliuione

* *Cael. Aurelian. lib. I. in proemio, pag. 7.*

** Huc pertinent phaenomena, quae *Hippocrates scit. II. Coac. praenot. pag. m. 137.* lethargo adscribit, vnde non opus est, ut cum vetustis inflammationem pro lethargo frigidam accersamus, cum lethargus ex inflammatoria intra cerebrum stasi descendat, vid. *Calmette in Riuorio reformato parte II. pag. 7.* adde quod *VVillius parte II. de anima brutor. p. m. 258.* lethargum ex cerebri inflammatione descendere affirmet.

obliuione & febre lenta, iuncta. Caussas mediatas, quae aliis soporosis adfectibus communiter tribuuntur, lethargico malo non aequa conuenire, ex phaenomenis morbo coniunctis palam fit, siquidem febris illa lenta, dementia deliriosa, omnia sopori graui nupta, sanguinis in capitis partibus stagnationem, & miscelae eius exsolutionem, verbo aliqualem cerebri, seu potius meningum inflammationem in hoc morbo adesse, sat-
tis testantur, quae vltierius inde confirmari potest, quod lethargus felicissime abscessu, vel in pectore, vel ad au-
res facto, soluatur, * vbi naturae robore sanguis in ce-
rebri partibus stagnans discussus, ad remotiores partes
salutariter deponitur.

§. XI. Ex modernis incongruam phrenitidis pathologiam inspexit *Villisius*, & hinc corrigendae eidem magnum animi adhibuit neruum. ** Optime acutissimus hic & simul curiosissimus vir formalitatem morbi quaerit in irritatis, inordinate, confuse & im-
peruose commotis animalibus, ita dictis, spiritibus, quam motus inordinationem in definitione morbi sub inflammatione eorundem exprimit, quae vtique lo-
cum habere posset, modo non, a *Prospéro Martiano* seductus noster, distingueret inter calorem & flam-
mam, & reuera inflammatos spiritus in hoc morbo agnosceret, quos machinae nostrae indoles sane non sustineret. Liceat autem nobis, quae circa formalita-
tem morbi meditati sumus, proferre.

B

§. XII.

* Vid. *Hippocrates in Coacis, it. III. de morbis*, pag. m. 488.
** *mtm. 54. de distinctiis horum affectuum signis Cael. Au-*
relian. cap. VI. lib. I.

** *De anima brutor. P. II. cap. X.*

§. XII. * Massam humorum, quos in sinu gerimus, quamdiu sani sumus & vigemus, sal quoddam medium temperatum, ex alcalico - sulphureis cum acidis particulis benigne contemperatis, coalitum, possidere, satis constat, quod quoad vnam partem exaltatum nimis, aut euectum, largissimo modo foenerat morbos, ita quidem, ut sal acidum nimis euectum chronicos fixos, alcali autem exaltatum & asperum factum acutos morbos promat. Patet hoc ex phrenitico morbo, hic enim originem sumit ex particulis alcalico - sulphureis, in massa humorum auctis & euectis, quarum ope superantur tendentiae seri gelatosi, & salis acidi, & hinc globuli sanguinis ex superficie sallium multum aculeata nimis irritati, ab intrinseco ordinato motu dehiscunt, & fermentatuum motum subeunt, cuius ope diastole vasorum fortis reddit a similem systolen vrget, quae demum, sanguinem multum premendo, progressuum huius motum vehementer reddit, ex quo vehementi motu effectus fortis calor, quem febrem magnam dicunt, presso pede sequitur.**

§. XIII.

* Elegantissime Hippocrates describit morbum phreniticum, quando modum eius lib. II. de morbis his verbis prodit: Phrenitis hoc modo se habet: sanguis, qui in homine est, magnam partem ad prudentiam facit. Vbi itaque bilis in venas & sanguinem introiuerit, sanguinem nimis mouet, & saniosum facit ex consueta crassi & motu; unde his calefit, calefactus vero totum corpus calefacit, & insanit homo, & non est in se ipso, ob plenitudinem febris & sanguinis non consuetam saniositatem & motum. Optima verba!

** Phreniticum dilirium pathognomonice ex febre acuta & valde magna coniuncta intelligitur, ita quidem, ut, vbi

§. XIII. Hinc acute febit aegrotus, & febrilem tumultum mox magna mentis inordinatione stipatum experitur, sanguis enim in crasi & miscelae modo, prout dictum fuit, deprauatus, ad cerebrum fortiter ductus, in corticis vasculis simile liquidum nervosum deponit, quod ex acrimonia salino-sulphurea spumascens, fibrillas medullares intra cerebrum fortiter impellit, vellicat, irritat, & ad fortiorum oscillationem subeundam vrget, qua ipsa cerebri fluidum robustius premitur, in omne latus protruditur, ita quidem, ut ex fluidi istius dyscrasia, & solidarum cerebri, in primis medullarium partium inproportionata affectione suboriatur demum confusus iste, & impetuosus liquidus nervosus intra cerebrum motus, delirii parens.

§. XIV. Aestuofus itaque hic liquidi nervosus motus similiter adscit cerebri medullares fibras, quarum motitationem similis in mente perceptio, cogitatio & iudicatio, ex prima machinae nostrae indita motus lege sequitur, ita, ut impetuosum liquidi nervosus

febris acuta praecedit, & hanc excipit delirium furiosum, vtique hoc sit Phreniticum. Monstrat hoc optime *Hippocrates lib. de affectionibus*, vbi haec habet: *vbi Phrenitis prebindit, primum tenet mitior febris, & dolor ad hypochondria, in primis dextra, ad bepar: quando vero quartus vel quintus factus est (dies) febris robustior sit, & dolores, & color subbiliosus sit, & mens adulteratur.* Vide quoque §. 4. lib. de structura hominis, quem *Hippocrates ad Perdiccam Macedonum Regem dedisse fertur.* Huc pertinet etiam *Celsi* testimonium, quod *Phrenitidem esse insaniam, quae & acuta, & in febre est, affirmat.* lib. III. cap. XVIII.

intra cerebrum motum, similemque fibrillarum cerebri impulsū, vtique furiosa mentis actio excipiāt. Quorsum etiam multum facit, quod cerebri fluidum sic natura comparatum sit, vt motum ex humorum dyscrasia semel suscep̄tum, certo numero, tempore & mensura seruet, nec minus cerebri solidae partes a motū semel impresso non statim dehiscant, hinc omnino, quaecunque obiecta, organa corporis licet recte mouentia, sub inordinato tamen, & tumultuoso liquidi neruei motu menti confuse oblata, inordinate percipientur, & pro perceptione tumultuose diuidentur, quod impetuosum iudicium, siue delirium, multum augetur, quatenus liquidus neruei impetuosus motus, multas cerebri fibrillas simul similiter mouet, & ita multarum rerum ideas confuse resuscitat, tristes cum lactis miscet, vnde phreniticos ex furioso & multum composito delirio laborare, & sub ipsa enormi hilaritate in lacrymas saepe effundi videoas.

§. XV. Haec omnia perpendentes, phrenitici morbi caussam non aequē in cerebri inflammatione, sed potius in inflammatoria inassae humorum & liquidus neruei commotione, ex dyscrasia salino - alcalico - sulphurea concepta, quaerimus, ita tamen, vt inflammatoria commotio nihil aliud nobis significet, quam dictorum fluidorum, quoad integrantes particulas, impetuosum, vehementem & celerrimum motum, quo ipso solidae, membranaceae, & neruosae sensatissimae fortius commouentur, adeoque febris & delirium stabiliuntur. Cum hac enim aetiologya plenius conuenient morbi phænomena, veluti sunt robur fere incredibile, & furor immanis, clamor, impetus in adstantes &c. quae omnia non tantum sanguinem

(13)

nem aestuantem, sed & liquidum nerueum in cerebro
& in toto inflammatorie commotum sequuntur. Li-
quidum nerueum enim in toto aestuose commoueri,
in phreneticis, ipsa cerebri adfectio euincit, quatenus
cerebri medullares fibrae ex fortiori liquidi neruei in-
tra cerebrum ebullientis nisu firmius renitentes, ner-
uorum fluidum copiose & fortiter ex cerebro in or-
gana corporis extrudunt, quod ex agrypnia, communiter
phrenitidi iuncta, & conuulsu motibus non raro
phreneticis supra venientibus, satis patescit.

§. XVI. Cum itaque morbus hic ex febre stabi-
liatur, & delirio furioso confirmetur, & hoc quidem
strictius in cerebro, illa vero in toto sedem habeat;
hinc adfirmare liceat, subiectum potius esse totum
corpus, non solum cerebrum, quatenus enim febris
illa permagna delirium gignit, & hoc ex humorum
dyscrasia, & motus anomalia, liquido nerueo commu-
nicata, demum subnascatur, non autem febris ex de-
lirio descendat, eatenus morbus in toto, non autem
in parte quaerendus est. Vetustus ille *Caelius Aure-*
lianuſ hoc cognoscens, postquam multorum de sede,
sive subiecto morbi, opiniones allegavit, suam sen-
tentiam addens, inquit: * *Nos communiter totum cor-*
pus pati accipimus, etenim totum febre iactatur. Quod
utique verum adparet iis, qui morbum phreniticum
non solo delirio, sed potissimum febre illa permagna,
delirium producente, absolui, perpendent. Phreni-
tidis quoque subiectum non solum esse cerebrum, ex
modernis docuit profundae doctrinae vir Hermannus
Conringius, nec morbi modum in sola cerebri inflam-
matione

matione consistere, nec meninges inflammatas semper delirium phreniticum proferre, adserens.*

§. XVII. Et si, quae cadauera introspecta promunt, anatomica experimenta consulas, communiter quidem in iis, quos phrenitis iugulauit, monumenta inflammati cerebri reperies, quae tamen ex lethargica potius phrenitidem excipiente adfectione, quam ex ipsa phrenitide dependent.** Ea enim est membranarum cerebri, & ex his compositarum fibrarum & vasorum eiusdem indeoles, ut ab humoribus nimis acribus vellicatae, demum contrahantur, & quoad diametrum angustentur, vnde sanguis in transitu impeditus, subsistit, subsistens vero exsoluitur, sive inflammatur, ad quam statim & inflammationem multum facit, quod fibrae medullares cerebri sub vellicatione & oscillatione forti aliquatenus debilitatae, eo nisu, quo antea, humores amplius impellere non possint: hinc enim est, quod phrenitici circa ultimos vitae dies frequenter a delirio & robore remittant, febre insigniter iactati, sub qua tamen toti soporibus dediti fere excitari non possint; ut ita pateat, facilissimum & fere naturalem transitum esse phrenitidis in lethargum, nisi debito tempore febris mitigetur, & phrenitis soluatur, siquidem experientia confirmat, duas phrenitidi successiones

* Vid. Hermanni Conringii dissertat. de phrenitide, 1645. die 9. Ianuarii, Helmstadii habita, §. X. XI. XII. Ioan. Isa. Waldschmid T. I. Op. p. m. 670. & Franc. Calmette in Riuorio reformato, P. II. p. 62.

** Hoc non sine ratione suspicatur Thom. VVillif. P. II. de anima brutor. c. X. p. m. 257.

cessiones familiares esse, lethargum nimirum & peri-pneumoniam. *

§. XVIII. Ut autem phreniticos communiter ex lethargo mori, ipsa morbi & mortis ratio, & quam post fata cerebrum exhibit, inflammatio doceat; at-tamen non desunt exempla a viris fide dignis, notata, quae ex phrenite enectorum cerebrum vel nitidum, & sine omni noxa constitutum fuisse adserunt, vel tam leuissimam in cerebro adparuisse labem, dicunt, quae isti tragœdiae producendae impar fuisse: ** cum tamen, si omnis phrenitis ex cerebri & meningum graui inflammatione semper pendet, semper quoque in phreniticorum cerebris post mortem documenta grauis inflammationis adparere debere, per se sequatur. Haec itaque satis notant, phreniticum morbum non tantum in cerebro, sed potius in toto corpore, nec modum eius in inflammatione meningum, sed in impetuoso & inflammatorio humorum & liquidi neruei motu, fibramque cerebri inordinata & impetuosa motitatione, atque inde stabilitis febre permagna, & delirio furioso, esse quaerendum, ut ita phrenitis sit febris *** per-

acta,

* Vid. Hippocrat. lib. de affectionibus; huc pertinet etiam phrenitis soporosa vid. Hipp. III. de morb. vulgarib. Galenus VI. Epid. sect. VI. VVillis. P. II. de anim. brutor. c. X. p. m. 261.

** Vid. Heurnius de pectoris morbis cap. I. vbi se phreniticum, per septem dies talem, post mortem dissecuisse, nec ullum inflammationis vestigium in cerebro deprehendisse, testatur. Vid. Valcer. Coister in obseru. anatomic. itemque Rhodius Cent. I. obs. XXXIX.

*** Recte Galenus Commentar. I. in I. prorhet. sup. axiom. I. dicit: Phrenitum vero non appellant, nisi febriat aeger, & continuo deliret: & tres illæ species Phrenitidis, quarum

acuta, cum delirio continuo, furioso & vehementissimo, pendens a motu sanguinis in toto, & liquidis nervis intra cerebrum, ex dyscrasia massae humorum salino-alcalico-sulphurea, inordinato, confuso, impetuoso & vere inflammatorio facto, cum maximo corporis robore, multa audacia, nocendi animo &c. iuncta.

CAP. II. DE PARAPHRENITIDE.

§. I.

IN scholis medicis mentis impedimenta in acuta & chronica dispesci solent, ita, vt sub illis phrenitica, & sub his maniaca, nec minus melancholica deliria comprehendantur. Phreniticorum autem duae species statuuntur, quarum vnam phrenitidem, alteram paraphrenitidem vocant, nominibus ab ipsis artis incunabulis in nouissimam medicinam traductis. Vox Paraphrenitis composita est ex particula Graecorum *παρα* & *φρενί*, ex qua posteriori, licentiosa denominatione, facta est phrenitis, & si compositam paraphrenitidis vocem iuxta Graecorum idioma aestimes, significat febrem acutam cum delirio continuo, quod mitius est eo, quod in phrenitide sumus admirati, uno verbo mitiorem, aut si maius, leuiorem phrenitidem,

id

Galenus IV. de loc. affect. cap. II. meminit, solummodo innunt differentiam inter mitem & confirmatum Phreniticum affectum. Febrem voco Phrenitum, eo quod ab hac incipiat, sub hac duret, & soluat, vid. Hippocrat. I. de morb. vulgar. & lib. de affectionib.

id quod iis statim forsitan arridebit, qui τὸ παπά Grae-
corum semper minuere norunt. *

§. II. In omnibus conuenit paraphrenitis cum Phrenitide, ** solo tantum gradu ab hac interstincta, quod tamen iis, qui morborum caussis eruendis in-
cumbunt, aliter statuitur, cum paraphrenitidem ratio-
ne febris & deliri cum phrenitide, ratione vero sedis morbi non item cum hac conuenire volunt. Descri-
bitur paraphrenitis, quod sit delirium furiosum con-
tinuum, cum febre acuta, ab inflammatione diaphra-
gmatis inductum, cum tamen si penitus rem introspi-
cias, diaphragma ab omni labore essentiali immune
sit, *** & huius pro paraphrenitide stabilienda factus
reatus solam insufficientem vocis paraphrenitidis, aut
potius huius diuersi significatus notionem pro caussa
habeat.

§. III. Φρῆν in Graecorum scriptis non tantum
mentem, sed etiam praecordia, strictius diaphragma
significat, forsitan quod ob huius partis sensibilitatem,
& ad vitam absolutam necessitatem, mentem hic se-
dem fixisse, aut menti arctius cum diaphragmate com-
mercum intercedere putarent. Ex hoc autem duplice
vocis Φρῆν significatu non satis interstincto, insufficientis
illa paraphrenitidis pathologia videtur subnata, ita, ut,

C

vbi

* Ita Hippocrates III. de morbis leuiorem anginam παπακυ-
νάγχην vocari dicit. Vide etiam Anut. Foesum in Oe-
conomia Hippocratis pag. 292. sub voce παπαληγύιν.

** Paraphreniticum morbum ex Galeni auctoritate diaphra-
gmatis morbum factum esse, recte monet VVillif. l. f. c.
& Galenus V. de loc. affec. cap. IV. ipse statuet, *morbū*
paraphreniticum non multum a phrenitide distare.

*** Vid. Tb. VVillif. l. f. c. p. m. 257.

vbi Graecorum primaeui mitiorem phrenitidem sub paraphrenitidis titulo prodebant, illorum posteri ibi morbum ad diaphragma situm intelligerent, quem errorem satis sane notat Hippocrates, quando praecordia, sive diaphragma, titulum $\phi\pi\nu$ non reuera nec natura, sed fortuito & immerito accepisse, grauite monstrat. *

§. IV. Morbum paraphreniticum in diaphragmate sedem habere, vterius sibi persuadebant Graeci, quia in illo respirationem valde impeditam esse, saltim maximis moliminibus, & anxie illam celebrari, videbant. Ab hoc enim phaenomeno statim recurrabant ad diaphragma, quippe quod in respirationis negotio principes partes agere, non ignorabant. Speciosum hoc primo intuitu argumentum videtur, ad demonstrandam diaphragmatis in paraphrenitide labem, quod tamen, vbi in omnibus acutis febribus respirationem ex pondere sanguinis, & motu eius intrapulmones vehementi valde impediri, aut laboriosam fieri, & hanc respirationis difficultatem in magna paraphrenetica febre, pro ipso febris gradir, insigne esse, penitusaueris, multum forsitan roboris amittet. **

§. V. Circa hoc ipsum autem respirationis impedimentum, quod in paraphreniticis adesse consuevit, non negamus, vtique hoc ex praeternaturali diaphragmatis affectione condescendere, hanc vero pri-

mariam

* Vid. *Hippocrates de sacro morbo.*

** De signis horum affectionum distinctius agit Galenus *V. de loco afficit. cap. IV.* quae tamen, quia exacte etiam quadrant phrenitidi, nullam differentiam, praeter gradualem, stabililiunt, quorsum quoque facit, quod diaphragmatis dolorem phreniticis adscribat *Hippocrates lib. de affectionib.*

mariam esse, & delirium paraphreniticum vnicē producere, non probamus, sed in sola spastica oscillatione, per liquidi neruei tumultuosum in eius musculos influxum inducta, consistere, adeoque respirationis impedimentum in paraphrenitidis ex pulmonum intentata oppressione, & spastica diaphragmatis affectione stabiliri, inferius monstramus. Vbi vero ex veterum sententia morbus paraphreniticus in diaphragmate constitutus erat, tunc, qui hos excipiebant, artis cultores, eum inflammatorium esse, & stricte diaphragmatis inflammatione absolui, conciladebant, denominatione morbi seducti, cum prout omnia desinentia in itis, inflammationem significare, sic etiam speciatim paraphrenitidem diaphragmatis inflammationem notare, putarent. Ex quibus lubricis morbi paraphrenitici fundamentis illud iam patescere puto, quod morbus hic non ita certo in diaphragmate quaeratur, qui certius in toto corpore haeret.

§. VI. Paraphrenitidis, non secus ac phrenitidis, subiectum, totum esse corpus, non vero vnicē diaphragma, ipse morbus cum phaenomenis, quibus stipatur, consideratus, docet. Morbus a febre permagna incipit, & dies aliquot superans, homini mentem emouet, vnde ille sibi non constat, absurde loquitur, intra verba desipit, volubilis lingua mentem praecurrit, fugaces oculi in orbita circumerrant, per omne tempus vigiliis agitatur aeger, adstantibus nocere cupit, non raro in subitos cachinnos, & hallucinationes soluitur, vehementer & inaequaliter spiritum dicit, interea multas gesticulationes edens, furiose delirans, quidue faciat, ignorans nec considerans. Haec omnia si reputes, morbum paraphreniticum a febrili

humorum motu, in toto praesente, incipere, inordinato liquidi neruei intra cerebrum motu, a febris magnitudine inducto, confirmari, & legibus motus, quae inter mentem & corpus commercium instituebant & seruabant, alteratis, mentis a corpore abalienatione facta, absolui, plenius tibi dicunt.

§. VII. Illud vero respirationis laesae symptoma, quo medicorum protoplasti pro argumento septi inflammati vtebantur, in specie docet, paraphrenitidem ex diaphragmatis inflammatione descendere non posse. Ad quod monstrandum presupponimus, dia phragma vnice ad motum subeundum esse factum, motumque eius duplicum esse descensorium & adscensorium, illumque pro inspiratione, hunc pro exspiratione celebrandum. Quod si itaque negari non possit, ibi crispaturam & vehementem contractionem fibrarum adesse, vbi inflammatio obtinet, omnem autem diaphragmatis spasticam & inflammatoriam quoad fibras contractionem, legitimum descensum, sive complanationem blandam eius, pro inspiratione absolute necessariam, vtique impedire, diaphragmatis porro complanationem laesam inspirationem supprimere, quod si, inquam, haec negari non possint, tunc omnino sequitur, in paraphreniticis inspirationem nullam esse posse, si paraphrenitis ex inflammato septo pendet. Iam vero videmus, in paraphreniticis inspirationem magnam & vehementem esse, exspirationem vero breuem & coactam, ita ut pateat, dia phragma non tam in complanatione, quam potius in remissione impediri, ex quo satis manifeste deducitur, in paraphrenitide dia phragma inflammatum esse non posse.

§. VIII. Est tamen sua diaphragmati vexa in paraphrenitide, quam iam emedullabimus. Respiratio in paraphreniticis inaequalis est, ex longa & vehementi inspiratione, breuissima vero, coacta, abbreviata & quasi abrupta exspiratione composita. Phaenomenon hoc ex inordinato & impetuoso liquidu neruei, prout in cerebro, ita etiam extra eumdem motu, pendet; siquidem liquidum nerueum in cerebro tumultuose agitatum, simili motu extra hoc pergit per neruos phrenicos in diaphragma, ita ut contractio harum fibrarum vegeta & robusta, similem fortem diaphragmatis complanationem efficiat, ob cuius fortem complanationem thorax valde ampliatur, & ita aer magno nisu in pulmones ruit, vnde est, quod aeger vehementer aerem introspiret.

§. IX. Diaphragma vero ex intertextis membranaceis & neruosis fibris, non tantum valde sensibile est, sed etiam ita constitutum, ut motum, quem ex robusta caussa semel suscepit, diu etiam seruet. Quam ob caussam ex forti & impetuoso liquidi neruei influxu fortiter complanatum, a complanatione non, nisi coacte, remittit, vnde vehementer factam inspirationem breuissima & coacta sequitur exspiratio, quatenus diaphragma, ob robur fibrarum fortem complanationem, robusteque factum descensorium motum, relaxari, & ita in fornicem plenarie redire, sub his autem homo recte exspirare non potest. *Quae itaque in paraphreniticis adeo exspiratio, coacta & breuis est, quasi interrupta, cum non ex remittentibus diaphragmatis fibris, sed ex his coacte motis, descendat.*

§. X. Ad hoc exspirationis impedimentum contribuit sanguis in pulmonum viscere fortiter com-

motus. Viscus enim hoc spongiosae structurae, a fortiter nitente sanguine ita distenditur, ut subsidere, & in se redire fere non possit. Cum itaque pro exspiratione, remissione diaphragmatis, & pulmonum subfidentia absolute opus sit, ambo autem haec in paraphrenitide impedian tur, hinc exspirationem insigniter laedi, necesse est. Hanc exspirationem ex sanguinis intra pulmones ebulliente, & valde nitente motu experiuntur omnes fere, qui ex acuta febre decumbunt: & ipsa in continuis febribus occurrentes, siue potius semper praesens praecordiorum anxietas huius impedimentae exspirationis species est, nec minus, si recte aduertas, in omnibus phreniticis simile etiam exspirationis impedimentum, ex anomalo, impetuoso sanguinis & liquidi neruei motu atque influxu stabilitum, prehendes.

§. XI. Ex his ergo phaenomenis morbo coniunctis, & morbi ipsius essentia forsitan non inepte concludimus, *paraphrenitidis caussam non in diaphragmatis inflammatione consistere*. In omnibus similis existit paraphrenitis ipsi phrenitidi, & illius ratio non secus ac huius, in sola sanguinis & liquidi neruei craseos & motus anomalia quaerenda est. Sanguis nimirum quoad actiuiores salino-sulphureas, quas in sinu gerit, particulas, ex rerum sex non naturalium non satis circumspecto vsu, euectus & exaltatus, nec minus serum a naturali gelatinositate, dulcedine, & temperante indele remittens, motum fermentatuum subit, fibras vasorum & pororum elatere pollentes, vellicat, irritat, & ad fortiorum systolen, siue oscillationem vrget, ob quam sanguis impetuose pressus, vehementer in toto discurrat, ex quo tumultuario tam intrinseco, quam

pro-

progressiuo humorum motu febris stabilitur, quae ex
continuis, magnis, & periculosis his motibus, continua,
magna & vitae satis insidiosa est.

§. XII. Ex fonte similis ritus deriuatur, liqui-
dum nimirum nerueum, eadem dyscrasia laborans, ex
sanguine salino, acri, alcalico, sulphureo orgastico de-
cerpitur, quod tam acrimonia & elasticitate, quam re-
liqua motus anomalia, sensatissimas cerebri fibrillas
inordinate & impetuose impellens, sub hoc inordinato
motu omnia rerum simulacra menti confuse offert, &
fibris cerebri iam consuetos factos motus tumultuarie
repetit, atque sic rerum ideas semel impressas confuse
fuscat, mirumque inter se miscet, hilares tristibus, se-
ueras iocosis iungendo. Vnde cogitatio & iudicium
de rebus obiectis intra mentem absurdā fiunt, & qui-
dem pro impetuosa & confusa perceptione, furiose
homo cogitat, similiterque iudicat, id quod acute &
furiose dilirare dicitur.

§. XIII. Ex febre itaque & delirio, vtroque
magno & continuo, coalescit paraphrenitis, in omni-
bus, prout dictum fuit, phrenitidi similis, nisi quod
ambo hic sint mitiora, & quae in phrenitide peracuta,
hic acuta febris, nec minus delirium, quod in illa ve-
hementissimum, in hac vehemens exsistat. Itaque
forsitan non errauero, si paraphrenitidem febrem acutam
atque magnam, cum vehementi furioso delirio iunctam,
ex sanguinis & humorum in toto, liquidique neruei in
cerebro impetuoso & inflammatorio motu, ex impropositio-
ne sanguinis, salino-alcalico-sulphurea facta, pendentem,
multo corporis robore & aegroti audacia stipatam,
dixerim.

CAP.

CAP. III.

DE

PROGNOSI ET CVRATIONE PHRE-
NITIDIS ET PARAPHRENITIDIS.

§. I.

Phreniticus & paraphreniticus affectus tam facile cognoscuntur, ut diagnosticis signis inherere, superfluum esset, cum febrem & delirium dissimulare aegri non possint.* Ab aliis autem deliriis distinguntur haec, & quod continua, acuta & vehementiora sint, & febre stipentur, quodque non diu durent, sed vel septem dierum spatio, aut in salutem, aut in mortem terminentur, cum maniacâ & melancholica deliria, annum & quod excurrit, superent. Vtrumque malum, phrenitis nimirum & paraphrenitis, semper periculosum est, numquam satis tutum, & ad bonas etiam notas dubium.** Salutis tamen spes micat, vbi aeger, qui primis diebus vehementissime delirabat, sequentibus diebus sine sopore molliter se gerit, & vbi vrinæ semper rubicundæ, quarta vel quinta luce cum sedimento adparent, nec vñquam intra hoc spatium albicans

* Signa, quibus imminens Phrenitis indicatur, multa tradita sunt ab *Hippocrate in Coacis praenot.* ex quibus certissimum & subita vrinæ rubicundæ in febribus acutis in albam mutatione, vid. *Hippocrat. IV. apb. 72.* Notae, quibus praefens phrenitis deprehenditur, ex febre permagna, & delirio furioso defumendae sunt. Vid. *Cael. Aurelian. loc. cit. p. 14.* saepe etiam oculi fixi immoti phrenitidis praesentiam monstrant. Vid. *Hippocrat. I. praediſt. num. 124.*

** De Prognosi phrenitidis vide *Hippocratem in lib. praediſt.* itemque in *Coacis praenot.*

cantes fiunt, simulque alius figurata ordinate reddit: quae omnia eo firmius salutem nuntiant, si somnus ordinatus accedit, & aeger resipiscere incipit, ita quidem, ut, licet quasdam vanas imagines accipiat, mens tamen illis non sit addicta.

§. II. Grauius decumbit, cui tertia aut quarta a febre luce mens magis emouetur, quod hoc ex febris valido & morbi naturae inconsueto, intremento factum est. Simile periculum etiam incumbit ei, cui phrenitis ne minimam quidem relaxationem concedit, sed febris & delirium manifeste increscant, quibusque oculorum flammeus rubor, rigidus toruor, aut conuulsua intra orbitam circumuolutio superuenit. Alius quae praeter modum silet, aut quae fluida, simul nigricantia fundit, vrina quae destillat, & intra aliquod horarum spatium albicans atque difficilis fit, tam vitalium secretiorum, quam excretiorum motuum, sub his autem momentosum mentis a corpore diuortium digito monstrant, & ita mortis periculum satis indicant.

§. III. Extra omnem salutis spem positus est, cui nec aliis nec vrina secedit, qui floccos legit, parietes carpit, qui tremula manu aerem, muscas, quas sibi singit, lucem capere studet, cui nutans & tremebundum caput confusa circumuoluitur, quique titubante lingua, & interrupta voce incondita rerum simulacra necit. Est quoque, vbi phrenesi detentus superciliosa fronte obiecta quaevis subridet, * quod ipsum cynici spasmi, aut strabismi non raro species est, particularem conuulsionem breui ab yniuersali exceptu in iri, prodens, quam etiam instare singultus, ruetus, vomiturito, stridor dentium & epileptica corporis adfectio firmiter indi-

D cant,

* Varios modos, quibus se phrenitis manifestat, vide apud Celsum lib. III. cap. XVIII.

cant, in his mors ostia pulsat, quae anxiae passionis sat gratus finis esse solet. Vbi itaque nec natura, nec ars, nec medicus salutaris quid efficere possunt, ibi mors plerumque sub soporis, aut conuulsionis modo ingruit, & satis iactatum miserum motuum extincione quietum reddit.

§. IV. Vehementes hi morbi vtique medici operam postulant, hancque citam,* & secundum adfectus indeolem, atque artis regulas institutam: quo loco tamen satis patebit, morbos hos in caussis & fiendi modo conuenientes, vnam etiam eamdemque curandi methodum exposcere, & omne id, quod curationem horum morborum interstinguit, in maiori, quae in phrenitide, leniori autem, quae in paraphrenitide est, adfectione esse quaerendum, adeoque forsitan modum adhibendorum & dosin, non item essentiam eorumdem pro his morbis curandis differre debere. Cum itaque indicans horum morborum sit sanguis dyscrasia salino-sulphurea laborans, & liquidum nerueum inde in crassi & motu inordinatum & confusum factum: hinc necessario pro curandis his morbis opus est, vt 1. dyscrasia salina alcalico-sulphurea malla humorum corrigatur, serum blandum dulce restituatur, & motus humorum aestuofus mitigetur. 2do liquidum nerueum dulcificetur, & huius robur infringatur. 3. motus liquidi nerui intra cerebrum ordinatus pacatus fiat, & rerum ideae menti placide & conuenienter offerantur.

§. V. Primam intentionem explent omnia ea, quae temperante virtute praedita sunt, in quibus optima existunt absorbentia, terrea, corallia praeparata, lapides cancrorum praeparati, conchae praeparatae, ebur sine igne,

* Eleganter Celsus loc. cit. monet: vbi res patitur, festinanter esse subueniendum.

igne, cum nitrosis, antimonio diaphoretico, arcano duplicito, nitro depurato, antimonato, iunctis antispasmodicis cinnabarinis, mixta, atque ex aqua florum nymphae, florum liliorum alborum, florum sambuci, persicorum, anagallidis, cerasorum nigrorum &c. propinata. Ipsa quoque aquosa, diluentia, ex hordeo cum cornu cerui, radice scorzonerae & cortice citri decocta, serum lactis caprinum, cum succis herbarum temperantium, expressum & infusum, emulsiones ex seminibus quatuor frigidis maioribus, cum aquis emollientibus, & refrigerantibus compositae, multae forsan erunt efficacie. Quorsum etiam acidula temperantia, tinctura florum papaveris rhoeados, rosarum, violarum, clyssus antimonii sulphuratus, spiritus salis dulcis, spiritus nitri dulcis, ipse vitrioli spiritus,* & ratione febris lenissima bezoardica, puluis bezoardicus minor Wedelij, puluis bezoardicus albus Ludouici, puluis pannonicus ruber, cum cinnabarinis & nitrolis intermixta pertinent.

§. VI. Secundum scopum exhausti partim iam recensita, partim vero venae sectio, euacuandi & deriuandi intentione, in brachio, sub lingua, aut in pedibus instituta, cum multo sanguine, & omnia ea, quae motum liquidu neruei fortem infringere possunt, in quibus sunt obiecta, quae terorem incutunt aegro, quo loco etiam vinxisse, asperre allocutum esse, subito terruisse, graibus comminationibus, & vbi opus est, atque subiecti conditio fert, ipsis fustigationibus excepsisse aegrotum, saepius profecisse, visum est. His probe obseruatis motus liquidi neruei intra cerebrum, quae tertia intentio erat, satis pacatus reddi solet, & rerum ideae iuxta sui indo-

* De effectu spirit. vitrioli in Phrenesi, vid. Sydenham Sch. V. op. 6. 2.

lem menti iterum offeruntur, si modo per morbi gratuitatem naturae & remedio amplius locus sit; ita tamen, ut decrecente furore multum etiam valeant sermones placide & prudenter, secundum insanientis animum & conditionem instituti, atque sensim facta mentis ad cogitationes ordinatas adsuetatio, quibus saepe praemissis iis, quae motas in corpore turbas componunt, ad frugem & sanam mentem homo reddit. *

§. VII. Cum itaque omnis cardo phreniticos affectus curandi circa humorum dyscrasiam, & motum inflammatorum temperandum versetur, hinc hos scopos medicus paucis quidem, ast in morbi naturam directis remediis, si alias per morbum possibile est, obtinebit. Statim ac ad phreniticum accedit, venam fecet, & ad vncias sex, octo vel nouem sanguinem mittat. **. Sanguine misso, Rec. aquae flor. nymph. endiuiae, flor. lil. alb. aa. vnc. 2. sambuc. vnc. 1. anagall. ceras. nigr. aa. vnc. semi. foliatur in his nitri depur. drachm. 1. m. d. ad vitr. Rec. puluer. bez. min. B. Wed. alb. Ludou. aa. drachm. 1. cinnab. nat. scrup. 2. nitri depur. gr. v. m. f. pulu. diuide in quinque partes aequales, d. f. alle drey Stunden einen Theil mit vnc. 2. obiges Wassers vermischt einzugießen. Circa vesperam paretur sequens temperans, demulcens & anodyna emulsio: Rec. aquae endiuiae, rub. idaei, flor. nymph. cerasor. aa. vnc. 1. sem. 4. frig. mai. aa. drachm. 1. f. l. a. Emulsio, colatura adde puluer. bez. alb. Ludouici scrup. 1. Sir. papau. alb. parum, m. d. ad vitr. S. Ruhe- Milch/

* Vid. Bagliu. lib. I. prax. cap. XIV. Celsus lib. III. cap. XVIII. Alexand. ab Alexandr. dier. genial. lib. VI. cap. V.

** Vid. Cael. Aurelian. I. de morb. acut. cap. XV. Celsus lib. III. cap. XVIII.

Milch/ von solcher alle Stunden einen Löffel voll ein-
zugießen/ und die Nacht durch damit zu continuiren.
Secundo die tam pro leniter subducendis aluinis scyba-
lis, quam pro temperanda humorum massa, *Rec.* rad.
lil. alb. drachm. 2. herb. anagall. c. t. lactucae, endiuiae,
portulac. flor. nymph. violar. aa. man. 1. caric. ping. n. 3.
c. c. gr. m. coque ex suffic. quant. aquae simpl. calaturalae
Rec. vnc. 6. adde nitr. depur. drachm. 1. m. d. cum pert.
S. Erweichend und alterirend Elystir/ solches so fort
zu appliciren.

§. VIII. Cum hoc intra corpus datum est, & intus
operatur, sibi relinquendus est aeger, & quantum fieri
potest, coercendus, quo quietum se contineat, nec cor-
poris nimia iactatione clysmatis operationem praeco-
cem reddat. Sub hoc vero spatio paretur sequens:
Rec. rad. alth. scorz. bardan. aa. drachm. 1. hb. atripl. satiu.
flor. nymph. violar. aa. man. 1. hb. beccabung. man. sem.
flor. sambuc. p. 2. hordei mundat. m. 1. sem. tamarindor.
mundator. drachm. 6. passular. min. drachm. 3. cortic.
citr. rec. num. 1. c. c. gr. m. coque ex f. q. aq. f. colat.
recip. mens. 2. solue in his nitri depur. drachm. 2.
adde sir. de toto citro q. f. ad grat. m. d. ad lagenam,
S. von solchen alle 1. oder 2. St. einen Becher voll ein-
zugießen; cuius loco etiam simplex decoct. hordei cum
rad. scorz. & cortic. citr. sufficere posset. Circa vesperam
autem emulsionem supra positam repetere poteris.

§. IX. Cum nec febri, nec furori aliiquid derogatum
esse tertio die videas, *Rec.* lapid. canc. praeparat. antim.
diaph. aa. drachm. 1. puluer. pannon. rubr. cinnab. nat.
ppt. aa. drachm. sem. nitri depur. gr. 12. m. f. pulu. diuid.
in 6. partes aquales, d. s. alle 2. St. einen Theil mit
dem oben angeführten vehiculo einzugießen/ und da-
mit diesen Tag zu continuiren. Quarto mane eodem
tenore

tenore durantibus febre & furore, venam raninam seces,
& sanguinem ad vnc. 4. vel 5. mittas, post cuius missio-
nem puluerem praemissum, & decoctum pro potu ordi-
nario datum repetas, &, si (quod tamen ex supra posita
methodo non facile contingit) altuum officii immemo-
rem esse cognoueris, clysma supra positum iterum in
corpus des.

§. X. Quinto die, *Rec.* Tinct. bez. camphorat. mixt.
simpl. aa. drachm. 1. m. d. ad vitr. S. Früh um 8. Uhr
12. Tr. mit folgendem vehiculo zu nehmen; vel *Rec.*
Tinct. bez. B. Wedel. mixt. S. aa. drachm. i. m. d. ad vitr.
S. vt supra. *Rec.* Aquae cerasor. nigr. flor. nymph. aa.
vnc. 3. m. d. ad vitr. S. Obige Tropfen allemahls mit
vnc. 2. von diesem Wasser einzugießen. *Rec.* Pulu. bez.
min. Wed. arc. dupl. a. drachm. i. cinnab. ppt. antimon. d.
aa. drachm. sem. diuid. in sex partes d. S. Morgens um
10. Uhr einen Theil.

§. XI. Post meridiem, *Rec.* Essent. anagallid.
drachm. 2. spirit. nitri dulc. scrup. 1. m. d. ad vitr. S.
Nachmittags um 2. Uhr mit vnc. i. aquae fl. chamom.
20. Tr. einzugießen. Hora quarta vespertina repetatur
puluis §. X. ordinatus. Circa noctis vero principium
imperetur sequens emulsio: *Rec.* Aquae endiu. eichor.
flor. samb. rub. idaei, pap. rh. a. vnc. i. sem. 4 fr. mai. citr.
excortic. a. drachm. i. f. l. a. emuls. colatur. adde fir. pap.
alb. parum m. d. ad vitr. S. Alle Stunde ein oder zwey
Löffel voll einzugießen/ und solches die Nacht durch
zu continuiren. Est quoque remediis topicis locus,
quae multis practicorum valde frequentantur, qui sub-
plantalia ex fermento panis acri, cum puluere absinth.
sale gemimae & aceto subasto parant, quae aliis etiam
ex terra bolari cum sale & aqua, aut aceto permixta
componuntur, quaeque tutius forsitan sunt, quam vbi
vnguenta

vnguenta* ex alabastro, croco, papauere &c. parata,
aut alia epithemata frigida in caput dantur.

§. XII. His ipsis in sextum & septimum diem con-
tinandum est, quo, nisi morbus soluitur, mors subin-
gruit, vel aliis morbus succedit. Multum vero ad hunc
morbum sanandum facit victus & regiminis ratio, quam
seuenti methodo medicus imperet. In aere tempera-
to, plus tamen ad frigidum quam calidum inclinante
debat aeger, cibo tenui, refrigerante & temperante, ex-
carni vtatur, panatellis, iusculis auenaceis, hordeaceis
cum glycyrrhiza & passulis minoribus, pomis Borsdorff-
ianis cum passulis & semine anisi, sine vino coctis, victi-
tet. Potus vero sit dilutus, mere aquosus, subacidulus,
copiosus,** absolute non vinosus, motus corporis & ani-
mi, quantum quidem arte & coercionibus obtaineri
potest, moliantur,*** & quies atque somnus studioso
quidem, prudenter tamen concilientur, quibus omnibus
maximum pondus addit motuum se - & excretorum
ratio probe instituta & seruata.

§. XIII. Aduersus hos adfectus autem, medicum se
pro cuiusque gradu gerere, necessarium est, & remedia
cum ipso morbo & eius caussis probe ponderasse, optima
medicina est. Sunt tamen & quaedam coronidis loco
notanda, in quibus praecipuum est, quod † calida reme-
dia & consilia id in phreniticis & paraphreniticis sint,
quod

* Optime monet Celsus lib. III. c. XVIII. Asclepiadem vnguinoſa
superuacula eſſe dixisse, quoniam in lethargum ſaepē conuertunt.

** De vino in phreniticis noxio, vid. Hippocrat. lib. de affection.
p. m. 518. num. 30.

*** Vid. Hippocrat. loc. cit. Vid. Liuinus lib. I. cap. XVIII.

† Lib. II. de morbis ſub ſin. Hippocrates affirmat, quod omnes, qui
ex febre ardente intereunt, intereant ex ſiccitate.

quod oleum est camino, & quod delirium in his morbis vna cum febre multum augeatur, vbi ex diffandi & resoluendi intentione bezoardica actiuiora, ipsaque camphorata exhibeas.* Anodyna quoque & in his *opiata* summe necessaria aestimantur, quo somnus paretur, quae tamen, tantum abest, vt morbo huic conueniant, vt potius eumdem confirment, aut in lethargum mutent, siquidem expansiua horum operatio humores ita pandit, vt solidae inde tensae extra actiuitatis sphaeram ponantur, & necessarium fluidis impulsu largiri non possint, vnde in subtilissimis cerebri vasculis, ita in tono superatus, sanguis subsistit, inflammatur, & lethargus inducitur.

S. XIV. Nec ignoramus, quod epithemata illa ex refrigerantibus parata frontalia, egregia habeantur in phrenitide & paraphrenitide compescendis remedia, quae tamen impetuose sigendo motum sanguinis, & subitam mutationem in crassi & motu huic inferendo, satis periculosa & lethargo accelerando apta esse, puto. Et ita quoque nondum satis noui,** an vesicatoria, quae acrimoniam insignem sanguini communicant, & sub hac motus humorum egregie augent, nec minus solidis partibus fortiorem oscillationem inducunt, utroque autem modo febrem augent, & sub huius augmento delirium confirmant, conducant phrenitidi & paraphrenitidi.

* De noxia Opiatorum operatione in phrenitidis, vid. *Cael. Auct. rel. lib. I. de morb. ac. c.XVII.* quo loco etiam afferri possunt, quae ex *V Villis*, notat *Ramazzin. diatrib. de morb. arif. c.XX.*

** *Th. V Villis part. II. Pharm. Rat. scđ. III. cap. III.* inter contraindicantia vesicatoriorum optime ponit statum sanguinis biliofum. Vide etiam, quae contra vesicatoria habet *Bagl. in animaduers. in pract. nou. §. 3. & 4.*

T A N T V M.

© SUB GÖTTINGEN/GDZ



OpCARD 201

